

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
**DE RELIGIOSORUM
SANITATE TUENDA ET
RESTITUENDA,**

QVAM

AUXILIANTE NUMINE DIVINO,
REVERENDISSIMO ET PERILLUSTRI DOMINO

DN. JOAN. JOACHIMO HAHN,

EPISCOPO METELLOPOLITANO,

Eminentissimi Archi-Episcopi & Principis Electoris Moguntini per Thuringiam, Has-
siam & Eichsfeldiam, in Pontificalibus Vicario Generali, ejusdemque Archi-Episcopalis Curiae
Pro-Vicario Generali, SS. Theologiae & Juris Utriusque Doctore, Protonotario Apostolico
Comite Palatino, Insignium Ecclesiarum Collegiatarum ad Gradus B. M. V. & ad S. Joannem
Moguntiae respective Scholastico, Canonico Capitulari, & reliq.

EX DECRETO GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE

IN HAC PERANTIQUA ELECTORALI HIERANA,
SUB PRAESIDIO

SPECTABILISSIMI DOMINI DECANI,

**DN. D. JOHANNIS ANDREAE
FISCHERI,**

CONSILIARII ET ARCHIATRI ELECTORAL. MOGUNT. COLLEG. MED. SENIO.
RIS, PATHOLOG. ET PRAX. PROF. PUBL. PRIMAR. NEC NON MED.
PROVINCIAL. DUCAL. ISENAC.

*PATRONI, PROMOTORIS & HOSPITIS SUI AETATEM DEVENERANDI,
PRO LICENTIA*

SUMMOS IN MEDICINA HONORES ET PRIVILEGIA
DOCTORALIA LEGITIME ADIPISCENDI,

PUBLICAE ERUDITORUM VENTILATIONI SUBMITTET

FRIDERICUS GOTTHOLD CASELIUS,

V Vinzigia-Silesius,

Ducalis & antiquissimi Coenobii Lubensis Sacr. & Exempt. Ord. Cisterciensium
Physicus Ordinarius.

DIE I. SEPTEMBR. ANNI MDCCXXI.

IN AUDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS HOR. CONSV.

ERFORDIAE, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

et et.
66

Best. diant
495



PRÆMONENDA.



A inter præcepta, quæ Medicis & officio præservatorio & curatorio omni ex parte satisfacere contendentibus observatu quam maximè sunt necessaria, haud postremum est id, quod diligentem circumstantiarum medicarum observationem inculcat, secundum quas, indicationes medicæ tam conservationis quam curationis gratia institutæ, omnino formare & adornare oportet illum, qui in foro medico rationalis medici titulum tueri vult, & utrobique id agere, quod pro rerum varietate agere convenit. Ad prædictas vero circumstantias etiam spectat ipsum vitæ genus, locique in quo quis degit

conditio, quibus magnam vim in mutando œconomia animalis statu inesse & ratio svadet, & experientia confirmat; ut taceam Hippocratem tribus prioribus sectionibus aphorismorum, speciatim *aph. 7. Sect. I. § 45. Sect. 2.* ut & *Lib. de loc. aere § aquis* consentientem. Nimirum haud rarò contingit, morbos sporadicos sive propria cujusque individui vitia sparsim homines in civitate quadam aut pago affligentia, à conditione vitæ locive variata quasi peculiare fieri pluribus, ita ut frequentius hoc illudve vitæ genus colentes, hunc illumve locum incolentes invadant corripiantque, & crebrius à praxin medicam exercentibus observentur. Atque hinc dubio procul originem traxit Virorum Clarissimorum deque Republica medica optimè meritorum institutum laudabile, quando nunc de morbis artificum, nunc de morbis præliantium, navigantium, nunc de virginum Vestalium valetudine tuenda, eximios conscripsere tractatus: Imo hoc ipsum me commovit, ut præsentem de Religiosorum sanitate tuenda & restituenda Dissertationem Inauguralem, spartæ mihi de-

man-

mandatae ratione habita, exaraverim. Ut ergo arduum hoc, quod in praesentia molior, negotium felicem sortiatur eventum, & eruditorum applausum inveniatur, supremum humilissimis precibus imploro Numen, quo hosce conatus meos clementissimè juvare velit, nec non à L. B. quibuscunque possum modis contendo, ut exoptato favore suo studia mea ulterius provehere dignetur.

Thef. I.

Religiosi itaque sunt, quorum res nunc agitur, quorumque incolumitati in praesentibus consulitur: Eos vero, ut onomatologiae satisfiat, cum juxta Aristotelem initium doctrinae nominum dilucidatio sit, sive cum Lactantio & Augustino à religando, sive cum Cicerone *l. 3. de nat. Deor.* à relegendo dictos statuam, perinde erit, quandoquidem utroque modo sua manet vocabulo emphasis. Siquidem religio est actio ejus, qui res divinas diligenter retractat & studiosè relegit pietatis ergo: Unde religiosi omnia illa pietatis officia peragunt, quibus DEO & proximo obligamur, per quas etiam DEO quasi colligamur & ad salutem unimur, quid, quod pietas in lectione frequenti & repetitione sacrarum literarum quam maxime consistit. Licet vero nulli non incumbit pietatis exercitium, omnesque tenemur sin-

A 3

cera

cera religione DEum nostræ beatitudinis fontem colere ; attamen hoc sibi peculiariter exequendum sumserunt certæ ex utroque sexu personæ, ut omnibus mundanis penitus remotis, divino quodam afflatu instigatæ, in locis separatis, à strepitu fori & reliquorum hominum consortio liberæ assiduo cultu DEum venerarentur, unde religiosorum appellatio orta est, qui cum distinctione sexus, loquendi more ab Ægyptiis tracto, Nonni & Nonnæ, unde dubio procul Germanicum Nonne, du Fresne *in Glossario med. & infim. latin. h. v.* referente, dicebantur, ubi etiam ex libro *usuuum Cistercientium C. 98.* sequens monachi defuncti allegata legitur formula. 1 Aug. obiit in Monasterio N. Nonnus N. de N. sacerdos & sacrista ejusdem Monasterii &c. nec non Waldrami ad Salomonem Episcopum Versus:

*Turba sacerdotum, Monachorum corpus inermè,
Nonnæ cum viduis, pauper, inopsque phalanx.*
Thes. II.

Atque illi ipsi, utcunque ob frugalitatis & severioris vitæ, quibus alligantur, regulas, firma eaque constanti sanitate frui posse videantur, nihilominus variis sæpenumero affliguntur valetudinis vicissitudinibus, & ad morbos propendent sex rerum non naturalium culpa inductos, tantum non inevitabiles. Jam enim monasterii situs, jam vietus ratio certis alligata ordinis regulis, jam vita sedentaria & somni placiti & naturalis denegatio, jam vestitus ad arcendum frigus, à pedibus præsertim, minus apta concinnatio, jam vehementior & diuturna in sacris consuetis celebran-

brandis cantandi necessitas, jam studiorum & piarum meditationum assiduitas, ut temperamentum melancholicum præteream, monachorum monialiumque valetudinem attentant, ut omnino cauto opus sit, ne in statum morbosum præcipitentur.

Thes. III.

Quapropter cum primis aer separata ejusmodi loca ambiens perflansque inhabitantibus conservetur aut reddatur beneficus, quo inspirando moleculis massæ sanguineæ interjectus, has blando impulsu promoveat, & ad circuitum vitalem indefinenter continuandum urgeat, id quod peculiare particularum elasticarum in aere beneficium est de quo præclare differenter legimus Berger *Tract. de nat. hum. cap. 3.* Commotio interna fluidorum vitalium in reciproco reflexoque motu corpusculorum sanguinis & spirularum aeris consistit, quæ unâ cum subtili æthere, quem calidi vel ignis nomine antiquitas designabat, inter illa interjectæ & compressæ, cum se perpetuo explicare atque in omnem loci differentiam promovere, & partes sanguinis interiores a se amoliri atque propellere nituntur, à reluctante illorum pondere nisive contrario cum antecedentium tum insequentium particularum intra vasorum angustias, humorum quippe plenas, ita coercentur, ut tot sibi occurrentes, seque mutuo volutantes propellentesque particulæ in vasis quidem satis capacibus in multos vortices agantur, in ductibus vero angustioribus motu placidiore provolvantur, & vitalem ibi sanguinis agitationem, qua partium dissimilium & glutinosarum alias facilis cohæsiō, vitæ inimica,

mica,

mica, arcetur, singularumque libertas & mixtio con-
servatur, nulla facta intermissione continuent & tue-
antur.

Thes. IV.

Ex quibus luce meridiana clarius patet, aerem pu-
rum, serenum, particulis elasticis præditum quavis ra-
tione esse expetendum, quocunque modo procuran-
dum, ut salia intra corpus forte congesta ab aere diluente
leniantur, & glutinosa in MS. existens materia vi agitan-
te aeris elastici a cohæsiōe totali arceatur. Hinc omni
studio cavenda sunt quævis, quæ aerem inquinare pos-
sunt, quod quidem in monasteriis condendis fieri po-
terit, si ea non exstruantur prope muros & fossas cu-
jusdam urbis, ad quæ loca omnes sordes confluunt &
congeruntur, cum juxta observationem Hippocratis
in libris Epid. passim legendam, quotidiana experien-
tia testatur ad illa similiave loca quotannis plures decum-
bere ægrotantes gravioresque existere morbos: Quod si
vero monasteria jam condita & male posita sint, con-
venit monere religiosos religiosasque, ut sibi caveant
a ventis a parte murorum & fossarum spirantibus, nec
non ab ingentibus fimi maxime recentioris acervis,
in hortis monasterii congestis, quorum exhalationi-
bus pravus aer conspurcatur, & ad sanitatem conser-
vandam ineptus redditur; quod etiam de suilla pecu-
de, cujus ingens plerumque in monasteriis, falsa men-
torum, pernarum, lucanicarum & lardi causa, datur
copia, tenendum, à cujus expurgato fimeto aer cir-
cumjectus miris infectus modis mephitim spirare de-
prehenditur; hinc omni diligentia efficiendum, ut ne
expur-

expurgatio ista suilium puritati aeris usque adeo offi-
 ciat, quoniam sub aere cœnoso perspiratio corporis
 impeditur, meatus implentur, fibræ laxantur, & pon-
 dus perspirabilis retenti lædit gravatque, egregie mo-
 nente Sanctor. *Med. Stat. s. 2. aphor. 8.* Demum deam-
 bulatio quoque in hortis monasterii matutino aut ve-
 spertino tempore suscepta huc etiam pertinet, quip-
 pe quæ ob atmosphæræ frigidiusculæ humiditatem &
 gravitatem capiti haud parum molesta existere solet,
 unde ad omnis generis defluxiones capitisque dolores
 facillime fit transitus, eodem Sanctorio *l. c. aph. 17.* an-
 notante, quapropter sibi remperent ab illa qui sani-
 tatis tuendæ studio tenentur.

Thef. V.

Qua occasione omnino notandum duco, pluri-
 mum periculi religiosis præsertim imminere à tran-
 spiratione insensibili, aeris atmosphærici humidio-
 ris frigidiorisque culpa, cohibita, quæ cum ad vitam
 incolumem degendam plurimum valeat, sanguinem à
 particulis excrementitiis varii generis quotidie sensim
 sufficienterque liberando, dum plenior longe, juxta
 Sanctor. *s. 1. aph. 4.* esse solet, quam reliquæ cunctæ
 fluidorum excrementitiorum evacuationes sensibiles;
 dolendum utique est, duroque monasteriorum fato in-
 gemiscendum, quod prædictam transpirationis læsio-
 nem ex necessitate loci subire debeant, quando ædi-
 ficia ex puro lapide erecta madore tantum non per-
 petuo conspurcata cernuntur, præterea monachi &
 moniales diu noctuque multum in templis commoran-
 tes, aeris istius ambitum poros patulos occludentis,
 minimumve inspirationem inter preces & cantilenas

B

libe-

liberiores evitare nequeunt, ex quo M. S. evadit se-
 rofior, vasa fluidis vitalibus & animalibus dicata vapo-
 ribus distenduntur & ob motum circulare imminu-
 tum humores lentescunt & spiffescunt, hinc sanitas in
 præsentissimo versatur discrimine, donec temporis
 tractu corpora huic vivendi methodo assuefacta, aeris e-
 jusmodi qualitates cæteroquin noxias impune ferre,
 aut horis intermediis vacuis melioris atmosphære
 usu, uberiores transpirationem sibi conciliare didi-
 cerint. Et licet convenienti vestitus genere, odo-
 ramentis, suffimentis, errhinis, fumifugiis, masticato-
 riis, apophlegmatizantibus, aliàs aeris frigidi humidi-
 que noxas avertere queamus; hæc tamen adminicula,
 in quolibet ordine ob regularum diversitatem, locum
 minime inveniunt, eaque propter religiosi insigni so-
 latio cedere poterit id, quod Sanctorius *sect. 2. aph. 1.*
 scripto consignatum reliquit: *Aer frigidus & lavacra fri-
 gida corpora robusta calefaciunt, eaque, auferendo super-
 fluum, leviora reddunt.*

Thes. VI.

Nec minus porro momenti ad sanitatem tuendam
 in victus ratione salubri situm est, quandoquidem jux-
 ta vulgatum Physiologorum axioma, talis chylus, qua-
 lis cibus & potus, talis sanguis, qualis chylus, talis
 spiritus vivificans & movens, qualis sanguis, & talis
 sanitas qualis spiritus esse solet. Quoniam vero hic
 iterum bonæ diætæ regulæ non semper conveniunt
 ex affe cum singulorum ordinum regulis, ob diversita-
 tem ætatis, habitudinis, temperamentorum, quorum
 tamen respectus in monasteriis haberi communiter
 non solet: Ideoque optima in hoc passu erit pruden-
 tiæ

tia regula, ut ne quid nimis, vel stylo Hippocratico, semper præstat peccare qualitate quam quantitate; eo magis cum consuetudinis diuturnæ magna vis esse deprehenditur, juxta quam, oraculo Hippocratico asserente *aphor. 50. sect. 2.* consueta longo tempore, etiam si deteriora, insuetis minus molesta esse solent. Quapropter consultum est, ut illi ordines, qui solis piscibus oleribus & leguminibus vescuntur, tanquam imbecillioribus cibariis brevem vitam, effato Hippocratis, habentibus, sive parum vitalibus & celeriori corruptioni obnoxiiis, in comedendis ejusmodi sibi moderentur, & Ficino *Tr. de studios. valetud. tuend.* præclare monente, quadruplum panis fermentati ad pisces & olera comedant, legumina vero utpote flatulenta, non nisi viridia, aut aqua lixiviali macerata assumant, quæ cruditatem siccorum, elixorum aut frixorum quadantenus corrigere potest, ne siccum prævalens humido flatibus generandis occasionem suppeditet, assumant, modo quantum possunt a fabarum esu, antiquissimi adagii Pythagorici memores, abstineant, ne somni reddantur turbulenti, aut facultas concupiscibilis facultatem rationalem flatibus copiosis oppressam impediatur, quo minus continentia, monasticam vitam tantopere exornantis, fræna gubernare possit, quam ob causam quoque dubio procul, olim interdixit monialibus & monachis leguminibus cunctis, Hieronymus *Epist. ad furiam de servanda viduitate.* & ut potius uterentur oleribus, utpote nitrosi refrigerantibus prompteque secedentibus suasit. Quod vero illos concernit, quibus promiscue secularium cibus, carne cum primis frui concessum est, gallinarum,

narum, columbarum, avium montanarum carnes, maximopere vitulinas & vervecinas, Sanctorio *sect. 3. aph. 8.* referente, concoctu facilimas, noctisque spatio trientem libere magis, quam cætera edulia, perspirantes, sibi habeant commendatas, bubulis, suillis, leporinis crassiozem chylum fundentibus, quoad fieri poterit, sepositis, unde etiam Salesianarum virginum in monasterio Mutinensi consuetudo originem traxit, quâ non nisi vitulina carne vescuntur, ut bene valeant, & cum animi hilaritate DEO serviant.

Thes. VII.

Pari ratione curandum ut & potulenta cum requisitis bonæ diætæ congruant, ita nempe ut nunc aqua fontana limpida, tenui, puraque, particulis terreis limosis aut salinis non contaminata, levi & odoris saporisque experte, nec valde gelida, nunc cerevisia tenui, clara, ex æqualibus polentæ ad aerem & ad ignem furni peculiaris exsiccatæ partibus cocta eaque modicè lupulata, minimeque acida, nunc vino veteri generoso, mensibus æstivis sufficienti aquæ portione diluto, sitim fallant digestionemque alimentorum adjuvent. vina recentia, evanida, acria & austera, maxime alumine a lithargyrio pro meliori, ne vapescant, conservatione infecta, vimque adstringendi & obstruendi possidentia solícite cavendo: Quod si vero vini ejusmodi copia non detur, nec reditus monasterii procurationem illius admittant, ex passulis, cinamomo, coriandro, saccharo & cremore tartari, cum aqua bona artificiale vnum ad solem excoqui poterit, quod lagenis vitreis argillaceisve exceptum & in cellis subterraneis asservatum, vini naturalis defectum quam optime supplere

plere

plere poterit. Ut taceamus hydromel & sorbitiones infusorum thee, fabarum caffee, avenæ leviter tostæ, radicum cichorei, aliarumve plantarum nostræ terræ appetitui gratarum calidas, moderatè horis matutinis & pomeridianis institutas, quas chylicationem egregie juvare, sanguinem fluidum servare, sordes viscosas saliaque abundantia eluere, & insensibilem transpirationem promovere, quotidiana experientia constat. Et cum a frequentibus jejuniis ex decreto fundatorum tolerandis haud leve discrimen incurrit religiosorum sanitas, moresque ipsorum sic sæpenumero exasperantur, ut fratribus sororibusve suis intolerabiles plane reddantur; suadendum est, ut ne severioris disciplinæ studio se ipsos conficiant, & incauti valetudinis longæ periculum sponte incurrant, siquidem nec satietas nec fames juxta *aph. 4. sect. 2.* neque aliud quicquam quod naturæ modum excedit, bonum: Quin potius recordentur illud Hieronymi: *Parvus cibus, venter semper esuriens, triduanis jejuniis præferatur.*

Thef. VIII.

Nec minorem sibi in religiosorum sanitatem potestatem vidicat somni & vigiliarum naturalium deficiens justa alternatio, quâ corpora redduntur durabilia, longæva, alacria, & ad actiones vitales animalesque prompte exercendas disposita: Hinc multum inter est, ut somni placidi & ad debitas horas continuati in monasteriis maximopere ratio habeatur, quandoquidem de vigiliarum defectu ibi vix conquerendum est. Solet vero somnus sæpenumero turbari breviorque reddi, tum ex qualitate loci, ubi ille instituendus,

B 3

tum

tum ex qualitate aëris sub quo captanda quies: Illud contingit, si in dormitorio amplo omnes personæ cubilibus secundum ordinem positæ una juxta alteram somnum capere teneantur, aliis tusfientibus, aliis fufpirantibus, aliis ftertentibus, aliis fomniantibus, aliis colloquentibus, dum interea matutinum tempus, fva-
vi alias fomno amicabile, adproperat, ubi ad fonum campanæ furgendum atque templum adeundum. Nec minus in ejusmodi loco placidæ quieti officit ingratus à tot fubjectis inclufis exhalans odor, qualis ordinarie in faniffimorum etiam cubiculis a transpiratione nocturna liberiore, matutino fentitur tempore, qui et fi ad fvetas offendere non foieat; attamen in motum turbulentum fpiritus concitare potis eft: Hoc evenit tempore æftivo, noctibus brevioribus exiftentibus, ubi licet fingulis fuas intra cellulas fomno indulgere concessum fit, & ab aëris æftu, & accelerante luce quiete debita privantur; quemadmodum ab athmofphæra quoque halitibus jugiter per os naresve exfpirantibus, haud parum alterata, quam inter dormiendum respirantes naribus reforbent, fomni laboriofi evadunt. Ut ergo huic defectui confulatur, convenit dormitoria fuffimentis frequentius purgare, eorum ut & cellulariū valvas aliquantisper apertas relinquere, ut aër reciprocando renovetur, exercitationibus moderatis non delaffantibus fed exfufcitantibus de die operam navare, vix ad fatietatem comedere, ne ventriculus longiore fomno pro cibis digerendis indigeat, fomnoque diurno calidiorē tempeftate per horulam ante prandium, hyemali vero post illud inftituto, defectum compensare: Quippe fecundum Celfi monitum, longis diebus meridiari potius ante cibum, utile cenfetur. Thef. IX.

Et quoniam exercitatio corporis modica temperamento cujusque convenienter instituta ad laudabilem sanguinis spirituumque crasin, & partium solidarum robur sive virtutem tonicam, quâ perspiratio & hac mediante superfluum eliminatio quotidiana optime succedit, magni est momenti, quando videmus robustiores ciborum plenitudinem absumere per insensibilem transpirationem, minus robustos per urinam, debiles vero maximam partem per chyli corruptionem, cacochyliæ & cacochymiaë parentem: Ea utique illis, qui ob severiorem disciplinam ad vitam sedentariam magis sunt alligati, omnibus modis est commendanda. Nullam vero ordini sacro convenientiorem judicamus, quam artem tornatoriam sexui potiori, & textrinam sexui sequiori, quibus obstructions viscerum intestinorumque præcaventur, & præsentis facile expediuntur: Hic enim totum corpus est in exercitio æqualiter, nec motu blando succussorio defatigatur, quinimo robustiores & coloratiores redduntur quotquot prædictis exercitiis incumbunt.

Theſ. X.

Quod denique noxas à vestitu sive habitu ordinum diverso metuendas concernit, has fermè putamus inevitabiles, cum illum mutare habitum nec in religiosi nec Medici arbitrio consistat: Ne tamen ex hac parte Medicina nostra videatur sterilis, aut solatio destituti homines acerbis moveant querelas & Fundatori Ordinis indignentur; paratum est noxis memoratis remedium: Scilicet corpus robustum & injuriarum aëris externi patiens reddatur. Cum enim frigus
exter-

externum calorem vitalem, quem in subiecto debili dissipat, in robusto augere cernitur, dum calor ad interiora retractus duplicatur, quo facto, natura roborata perspirabilis retenti pondus è vestigio absumit, corpusque fit & sentitur levius, præclare notante Sancto. *l. c. S. I. aph. 68.* omnibus nervis eò erit contendendum, ut tali robore religiosi polleant, id quod partim frugali alimentorum assumptione, partim exercitationum laboriosarum remotione, partim affectuum vehementiorum, iræ, invidiæ, æmulationis & mœstitiæ refrænatione, partim consuetudine diuturna efficiendum.

Thes. XI.

Præter hæc recensita sanitatis tuendæ præcepta, adhuc duo suppeditat auxilia forum pharmaceuticum & chirurgicum, scilicet venæsectionem & purgationem, quibus etiam valdopere delectantur monasticam vitam colentes; ast dolendum, quod ea simul adhibeantur communiter & promiscuè, utcunque perditio huic morbi autoritas Hippocratis obstet *aph. 47. S. 6. inquentis: Quibus Venæsectio aut purgatio prodest, his vere secanda vena aut purgatio imperanda.* Ex quibus patet graviter illos in methodum præservatoriam rationalem impingere, qui purgationem venæsectioni semper præmittendam censent, aut respectu subiecti minime habito venam secare jubent extra plethoram, aut purgare citra cacochymiam: etenim quibusdam sola venæsectio, quibusdam sola purgatio sufficit, paucis utraque convenit. De cætero allegata Hippocratis verba non sic intelligenda sunt, ac si duo hæc præsidia valida solum verno tempore, autumno penitus excluso, in usum vocanda sint; sed eadem interpretationem extensivam ad-

mit-

mittunt, ita ut ad minimum purgatio, venæsectione ad commodius forte vernale tempus juxta *aph. 53. Sect. 7.* reservata, sub autumnum, ad errata diætetica æstate commissa, corrigenda, optima cum ratione & exoptato cum eventu repeti queat.

Thes. XII.

Quibus præmissis ordinis ratio nunc exigit, ut etiam de sanitate religiosorum restituenda agamus: Ubi quidem non omnes promiscue morbos qui tales personas æque ac seculares affligere possunt, sed eos modo qui huic militiæ sacræ ut plurimū familiares esse solent, in medium proferre libet. Itaque ad horum censum pertinent vertigo, cephalalgia, virium languor, febris lenta, perniones, tumores œdematosi, herniæ diversi generis, raucedo, hydrops, dolores colici, lenteria, scorbutus, arthritis vaga & fixa, calculus renum & vesicæ, malum hypochondriacum, cum melancholia ejusdem farinae, obstructio alvi, phthisis, & in sexu fœmineo hysterica & splenetica passio, obstructions mensium atque chlorosis. Circa curationem vero recensitorum morborum occupati, in præsentia singulorum causas L. B. exponere non vacat, quod generaliores passim ex practicatorum libris, specialiores & ad religiosos quadrantes ex vitæ regimine in antecedentibus tradito, haud difficulter patere possunt; quin potius me ad ipsam malorum therapiam rationalem, longoque usu comprobatam accingo.

Thes. XIII.

Videlicet vertiginis curatio, ad normam illius quæ aliàs catarrhis debetur, instituenda, jubet feri halituosi in cerebro congesti evacuationem, viscidi resolutionem

C

&

& fibrarum membraneo nervearum roborationem: Unde clysteres ex nervinis purgantibus sociatis, pilulæ purgantes cephalicæ cum cinnabarinis paratæ, infusa plantarum cephalicarum tepide cum succinatis & cervinis haurienda, ipsa quoque lignorum decocta sudoris proliciendi & roborandi ergo, conveniunt.

Thef. XIV.

Dolores capitis nunc leviores & transitorii, nunc per modum hemicranie, clavi aut cephalie affligentes, frequentiusque sacras hæcæ utriusque sexus personas inquietantes, vel ad plethoram, vel dyscrasiam sanguinis melancholico-scorbuticam, quarum illa ex dolore acuto pulsante, quandoque tensivo terebrante, hæc vero magis gravativo cognoscitur, attendere jubet medentem, atque fomitem mali modo in cerebro ipso, modo in ventriculo primisque viis, modo in utero quærere: Hinc pro diversitate causæ, jam sanguis quocunque modo imminuendus, jam sudor proliciendus, jam laxans cephalicum hystericumve cum mercurialibus aut vomitorium porrigendum, posteaque mixtura quadam cephalica simplici aut hysterica quotidie horis medicis cum infuso Caffee sumenda, reliquæ subigendæ, diluentibusve & modicè refrigerantibus corrigendæ sunt, pediluviiis ex salice, serpillo & capitibus papaveris, una cum epithematibus frontalibus ex verbena & betonica in quavis specie non neglectis, quibus malum hoc, cæteroquin pertinax, causis occasionalibus sollicitè evitatis, ad votum removebitur.

Th. XV.

Virium languor exigit spirituum deficientium restaurationem, oppressorum resuscitationem, & ventriculi

culi ad laudabilem chyli præparationem segnioris re-
fectionem: Unde remedia analeptica, spirituosa nunc
volatilia nunc fixa, aromatica acidulis juncta, gelatinam
tenuem fundentia, sulphurea suaveolentia internè, ex-
ternè frictiones matutinæ & vespertinæ cum linteis te-
nuibus conglobatis & fragrantium balsamicarum fumo
imprægnatis, nec non balsamica suaveolentia cum a-
quis apoplecticis omnis generis, rem in hoc passu e-
gregiè peragunt.

Thes. XVI.

Febris lenta vult ut respectus habeatur vel ad me-
lancholiam, vel ad scorbutum, vel ad phthyfin, hinc a-
cidum austerum infringendum, infractum evacuan-
dum, acidum acre temperandum, fermentum ulcero-
sum corrigendum & abstergendum, ipsum denique ul-
cus quantum possibile consolidandum: Hinc acria præ-
cipitantibus sociata salina volatilia macra, martialia hel-
leborinis juncta, diluentia & absorbentia amaricantibus
copulata, alexipharmaca temperata atque traumatica al-
cali copioso gaudentia, eximiam afferent opem.

Thes. XVII.

Perniones exposcunt sangvinem acrem edulco-
rantia, doloris vehementiam lenientia & hiantes par-
tium fissuras nova carne adimplentia: ideoque dia-
phoreticis absorbentibus interne, traumaticis, emol-
lientibus, paregoricis & sarcoticis externe, res felicissi-
mè peragitur, quo sensu decocta ex consolid. maj ari-
stoloch. rotund. alth. plantag. malva, millefol. & sani-
cula cum vino pro scopo abluendi parata, ut & linimen-
tum ex ol. ovor. rosar. alb. verbasc. sperm. cet myrrh. lap.
calamin. mastich. & tut. vel ex gumm. elem. Spir. Vin.

camphor. ad consistentiam linimenti dissoluto exoptatam sanationem procurabunt.

Thef. XVIII.

Tumores pedum œdematosi eam postulant mendendi methodum, quæ alias hydropi debetur, nempe serum plus minus viscidum intra pedum membranas collectum est evacuandum, diuresis & diapnoe promovenda, uberiorque substantiæ serosæ ad partes prædictas decubitus præcavendus, quapropter purgantia hydragoga cum mercur. dulc. combinata, & ial. cum decoct. lignor. cum primis lentisci exhibita interne, externe fomenta ex plantis aromaticis & camphor. parata cum thermis & æo aluminosis haud spernendam præstabunt opem, modo pedes fascia longa digitos duos transversos lata & camphor. imbuta continuo arte circumvolvantur, & quidem a talo inchoando & sursum versus pergendo, ubi fonticulus simul infra genua factus & serum per ligaturas adductum eliminabit & novum affluxum felicissime impediet.

Thef. XIX.

Herniæ in adultis securius præcaventur quam curantur, abstinendo nempe à polyphagia & flatulentorum assumptione, a voce contentiosa nimiumque canora sibi temperando, conciones, declamationes, disputationes potius sedendo quam stando peragendo & cingulo coriaceo latiore ilia constringendo: Quod si vero his auxiliis neglectis hernia facta sit, nil magis præstat nisi subligaculum commodum tempestive applicatum & continuo gestatum, simul persona quæ hoc malo affligitur carminativis, & adstringent. balsamic.

samic. quotidie per intervalla medica utatur, omnemque impendat operam, ut alvus singulis diebus promptè secedat, quod quidem feliciter pilul. ex Gummat. Sylv. sub ingressum lecti tres vel quinque deglutendo, obtinebitur.

Thes. XX.

Raucedo requirit, ut nunc pituita viscida incidatur, incisa per expectorationem ejiciatur, nunc acrimonia falsa scorbutica temperetur, nunc spasmodica fibrillarum pnevmonicarum crispatura, frigore induta sedetur. Quibus indicationibus ut satisfiat partim medicamenta acria aromatica, gummosa & resinosa abstergentia, partim dulcia & mucilaginoso, humectantia simul carminativa, partim nervina antispasmodica actuque calefacientia utilisime adhibentur: Ex quorum farragine palmam reliquis præripiunt in statu primo syrup. de erysim. Lobel. pulv. stomachal. Quercet. milleped. ppt. & polychrest. gumm. ammoniac aceto squillit. solut.; in secundo Rad liquirit. alth. flor. papav. rhead. farfar. sem. anis. fœnicul. passul. min. & mel. anthosat.; in tertio denique infusum manipulare ex verbasco saturej. & salv. cum pediluviiis calidioribus ex serpill. salv. artemis. & fol salic. parat. postque plantis pedum inungatur linimentum ex adipi porcino & allio confectum, cui etiam axungia lucii pisc. rancore carens substitui poterit.

Thes. XXI.

Hydrops ascites exposcit evacuantia simul roborandi virtute prædita, & in restagnatione urinæ diuretica lixiviosa, anasarca vero potius resolventia diaphoretica & exsiccantia: Hinc purgans ex roob. ebu-

li, junip. pulv. Gialapp. & rhabarb. ipsum ebuli infu-
sum cum vino, martialia quævis inprimis cum helleb.
combinata, atque Tinctur. tartar. acr. legitime parat.
cum Ω aperit. Penot. crocat. in casu priore, in po-
steriore decoct. lign. sanct. cum hermodactyl. & æqua-
libus aquæ & vini albi partibus in diplomate l. a. para-
tum, insignem medelam afferunt.

Thes. XXII.

Urgente colica humorali mucus acido viscidus fla-
tulentus incidatur, incisus per inferiora eliminetur:
Ubi vero colica mere convulsiva affligit, antispasmo-
dicis, carminativis anodyn. junctis & paregoricis ex-
tern. curatio instituatur. In casu priore conveniunt
clysteres ex aromaticis \oslash is, salinis & purgantibus
acrioribus, sal vol. \oslash s. c. liquor. ∇ æ foliat. Fr. & Ω
 Θ *c. fortiss. ad gt. 7. umbilico instillatus: In postero-
re clysteres ex lacte, therebinth. & sacchar. Thom. vel
qui sunt præstantissimi ex solo \oslash lin. vel coct. verbasc.
mixture ex tinct. cort. aurantiar. anod. Langel. Ω Otr.
dulc. \oslash que destill. flor. chamom. cærul cum infus. pa-
pav. rhead. & chamom. per vices sumenda, impositis
simul externe abdomini saccul. paregoric. cum lact.
coquendis egregie proficiunt.

Thes. XXIII.

In lienteria tum ad ventriculi flacciditatem, tum ad liquo-
ris gastrici inertiam, tum ad alimentorum cruditatem respicia-
tur: Ista medicamentis adstringentibus balsamicis tonum fi-
bratum restituentibus: Illa acidis & amaris: Hæc salinis aro-
maticis acrioribus tollitur, licet optimum hic sit remedium
ab ejusmodi cibis abstinentia. Cæterum in herb. menth. e-
jusque ppt. Cypress. N. M. fermento panis, externe, interne
in mastichinis, cydoniat. & vino Frontiniaco non adulterato
totius ferme curationis cardo vertitur.

Thes.

Thef. XXIV.

In scorbuti arthritidis vagæ & fixæ curatione, nunc acrimoniæ salinæ, quæ diluentibus, absorbentibus & inviscantibus, nunc acrimoniæ acidæ, quæ præcipitantibus & antiscorbuticis amaricantibus cedere solet, ratio habeatur, quo pacto lactinia cum primis saccharum cum sero, lumbricalia, cinnabarina cum $\frac{1}{2}$ alibus & $\text{\textcircled{O}}$ trat. ut & acidulæ, in illis; in hac lapidosa quævis cum cochlearia & trifol. fibrin. non neglecto decocto chin. & sarsaparil. potissimum conveniunt. Præterea in recensitis speciebus singulis venæsectiones circa æquinoctia, pro ratione temperiei parcius liberaliusve institutæ, præservationis, sanguisugæ & cucurbitæ quovis tempore intermedio applicatæ, curationis ergo, haud parum levaminis afferre solent.

Thef. XXV.

In malo hypochondriaco, melancholia hypochondriaca, obstructione alvi, calculo renum & vesicæ, mucilago $\text{\textcircled{F}}$ ea, sive acidum viscidum terrestre exigit attenuantia, resolventia, abstergentia, lubricantia, & per epicrasin evacuantia, speciatim vero calculus renum & vesicæ in foro præservativo, adstringentia sale alcali temperato prædita sibi vendicat, quæ longe melius cedunt quam diuretica, utpote nimium exsiccantia tonumque fibrarum in visceribus prædictis destruentia, ut promovendis particulis $\text{\textcircled{F}}$ reis illuc confluentibus impares fiant, immodice usurpata. Hinc $\text{\textcircled{O}}$ lata $\text{\textcircled{M}}$ alia cum primis liquida, $\text{\textcircled{O}}$ trat. ex ebor. corall. & conch. nec non ex rad. junip. alth. cicchor. fol. fenn. & $\text{\textcircled{F}}$ r. item extract. fol. fenn. helleb. nigr. gialapp. & $\text{\textcircled{M}}$ t. Myns. in hoc negotio sunt præstantissima, quibus si enemata, vinc. pervinc. semen perforat. cum arcano Timæano ex anserin. fecali & vino rubr. parando adjunxeris, & in calculo renali linteum essent. levistici madefactum renum, in calculo vesicæ umbilici regioni imposueris, dolorum mitigatio ad votum succedet.

Thef. XXVI.

In passione hysterica & splenetica ad flatulentam acido austeram M. S. diathesin & irregularem principii elastici motum, à frigore perpeffo, irave subitanea, aut mensium obstructione in fœminis monasticam vitam agentibus ut plurimum inductum

atten-

attendisse juvabit, alia simul methodo in paroxysmo & suffocatione urgente, alia extra eundem spiritu sibi reddito, instituta. Intentionem priorem externa volatilia, ut plurimum graveolentia ob idiosyncrasiam fœminei sexus adimplebunt, spasmos simul flatulentos mixtura quadam cordiali carminativa specificis hysteris aut splenicis roborata minuendo, ubi ∇ a angel. puleg. meliss. tinctur. castor. \ominus vol. \odot sol. specif. cephal. Michael & bezoard. jovial. opem præstare videbuntur præstantissimam. Paroxysmo superato enema leniter evacuans ex carminat. hysteris & emollientibus cum fructu insigni injicitur, quod post præservationis causa, aliquoties per septimanas repetendum, & causa mali, occasionis ratione probe habita, nunc venæsectione, nunc acidulis, nunc thermis, nunc præcipitantibus & evacuantibus rhabarbarinis, eradicanda,

Thes. XXVII.

Curatio chloroseos five icteri albi consistit in eo, ut ventriculus a cruditatibus depravatam chylicationem causam agnoscentibus, quæ ex nausea, anorexia, cardialgia & dolore ventriculi gravativo cognoscuntur, liberetur, intemperies sanguinis seroso pituitosa corrigatur & bilis inertior denuo evacuetur, quod quidem pro ratione circumstantiarum nunc vomitorio, nunc vino medicato laxante chalybeato, præmissis digestivis salinis in solida vel in liquida forma obtineri poterit, postmodum pilulæ antiscorbuticæ ex aloe violata per fermentationem parata, extract. cochlear. fumar. absynth. trifol. fibrin. mastich. succin. & myrrh. cum liquor. ∇ x foliat. ∇ r. solutis. per aliquod temporis spatium continuandæ suadeantur, polychresta tintur. ∇ is hellebor. cum tantillo \ominus is vol. \odot sol. interposita, quemadmodum & vinum Hispanicum, Malvaticum, aliudve hujus generis bonæ notæ, ex consilio Sydenhamii sub ingressum lecti modico haustu sumtum, unâ cum ∇ is thermalibus ∇ eo \odot is, mirifice spiritus tecreat, viscerum digestionem famulantium totum restaurat, gratiamque coloris restituit. Atque hæc impræseniarum, pro ingenii modulo temporisque brevitate de hac materia dixisse sufficiant: Quod si forte quædam adhuc restent, quæ reverentia sacri Ordinis distinctius proferre vetat, ea facile vincuntur precibus & jejuniis.

T A N T U M!

S, D, G,

Di. act. 176, 6